



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Jesus Passus Per Centuriam
Modorum Meditandi passionem Salvatoris nostri illustratus; cui
accesserunt Meditationes In Passionem Domini XLVI. - Juxta numerum
dierum Quadragesimæ

Druzbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066405

81. Considerando, quomodo in Passione sua idem Dominus noster opera
misericordiæ corporalia implevit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45427

ut per eam pietatem specialius efflorescant amici
Deinunc in Ecclesia militantes, ipsaque Ecclesia
Deo suo sese hoc genere pietatis probet, atque
commendet, sibi que misericordiam à Deo pro-
mereatur. Sed hæc hæctenus obiter sint dicta.

Concludo Modum hunc meditandi Passio-
nem Christi, repetendo eam esse totam exerci-
tium misericordiae operum spiritualium, quippe
in ea Dominus noster omne miseriarum nostra-
rum spiritualium genus persanavit; simulque lu-
culentissimum nobis exemplum exhibuit, ut &
nos pro cuiusque nostrum facultate, toti simus
in operibus istis exercendis. Non enim est repe-
rire hominem fidelem, qui si non in omnibus, in
pluribus certe, saltem in aliquibus hisce operibus
exercere se, & erga Deum proximumque pieta-
tem probare possit: ad quod persuadendum no-
bis, si exemplum (Passionis præsertim) Christi
efficax non est? quid demum efficax futurum sit,
non equidem inveniri puto posse.

MODUS LXXXI.

Octogesimus primus Modus meditandi
Passionem Dominicam est, advertere &
expendere exercitiam à Domino, in ea, septem
operum corporalium misericordiam.

Recensuit hæc opera Dominus ipse in Ev-
angelio suo, tanto quidem cum pondere divini
sui sensus, de huiusmodi operum exercitio vel
frequentato, vel neglecto, à fidelibus suis, ut
absque sacro quodam horrore Evangelium illud
relegi audirive non possit. Scilicet exercuisse
illa, salus: neglexisse, perditio certa æterna esse
à Do-

Handwritten notes on the right margin:
—
i cxi
= ascen
77 c15 III
V
8

Matt. 25. 40.

à Domino asseritur: additâ illâ admirabiliter ponderosâ in utramque partem causâ. *Quod uni ex his minimis meis fecistis, mihi fecistis: Et quod uni ex his minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis: ac proinde vobis quidem facientibus salus, vobis autem non facientibus perditio evenitura est. Sed jam videamus, quomodo hujus misericordiæ praxis in Passione portissimum Domini eluceat. Atque inprimis considerandum est, quomodo Dominus noster omnia septem miseræ humanæ genera, in semetipso subierit, sustinueritque propter nos.*

I. Esurivisse Dominum sæpius, Evangelistæ testantur, neque certè aliter evenire potuit ei, qui in tanta sua pauperie, alienâ duntaxat misericordiâ sustentaretur, atque à suo, ex materna domo ad Baptismum Joannis, & ad prædicandum Evangelium, excessu, nunquam deinceps ad eam accesserit, pedemve in eam intulerit, ne dum aliquid ex ea victûs sustentationisque acceptârit: sed etiam Passionis ærumnæ, earumque temporis longitudo, non minus famem quàm sitim in eo excitare validam poterunt.

II. Sitim verò suam peracerbam ardentemque Dominus ipse satis declaravit, quando in medio tormentorum suorum exclamavit: *Sitio.* quæ quidem non tantum fuit interior sitis charitatis ardore, ab abediendi & patiendi amplius studio, ab Redemptionis nostræ desiderio profecto, verum etiam realis, atque lechalis fuit contracta ex tantis fationibus, ex tantis doloribus, ex tantis sanguinis profusionibus, ex tantis tamque & variis & conglobatis, &

S:
G:
oper
TOT
N:
S:

tutris ærumnis. Proinde ex illa Domini de siti
sua contestatione, cognoscimus certò, tam si-
tiendi causas, quàm sitim ipsam fuisse summè
graves, summèque intolerabiles, atque excru-
ciativas, tenerimæ & exhaustissimæ Christi na-
tura.

III. Nuditate Domini nostri, quid vel acer-
bius, vel certius. *Partiti sunt vestimenta mea sibi, Joan. 19. 24.*
& *super vestem meam miserunt sortem*, ait Domi-
nus ore Prophetico, opere autem & experimen-
to proprio. Itaque cum aliàs sæpe inter patien-
dum nudatus est, tum specialiter nudus omnino
cruci affixus, & in cruce usque ad mortem pe-
pendit, nec nisi Sindone Nicodemi ad sepultu-
ram involutus est.

IV. V. Captivatus & Incarceratus est quo-
que Christus, à prima comprehensione in Horto,
usque dum Annæ, Caiphæque, & universo con-
cilio præsentatus, reliquâ nocte carceri inclusus
mansit. Summo autem mane, ex specu illo
iterum productus ad concilium; iterum damna-
tus, onustus vinculis Pilato traditus est. Sed
nullus Christi carcer gravior, quàm Crucis, cui
affixus pependit: omniumque & carcerum, &
compedum, & cruciatuum, & vicem retinuit, &
modum excellit.

VI. Peregrinum & Hospitem in Passione
Christum habitum fuisse, illud satis demonstrat,
quia illum universus populus ante faciem Pilati
abnegavit, & ne quidem nomen ejus, vel audire,
vel eloqui sustinuit. Insuper Barabbas latro,
seditiosus, homicida, plus illis placuit, quàm
Jesús. Ad hæc, ex proposito non à suis, suo-
rumve popularium, sed à Gentilium manibus
illum

DRIG
i cxi
= 2800
77 115 III
V
8

illum occidi, illudi, crucifigi delegerunt, ac demum professi sunt, quod non habemus Regem nisi Cæsarem, tituli que seriem à Pilato conceptam exosi, noluerunt scribi, Rex

Joan. 19. 21. Judæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Judæorum. Quod quatenus senserit acerbè Dominus noster, Ps. 68. 8. testatur apud Prophetam. Deus Israel, propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam. Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.

VII. Ultimò. Mortuus est Dominus noster, & sepulturæ indigentissimus fuit: & omne sepeliendi obsequium, ipsumque sepulchrum, alienum illi beneficium fuit. Ecce quomodo noster Dominus: omnium nostrarum miseriarum particeps fuit? quis nostrum nollet in his omnibus Domino nostro fuisse aliquo subsidio? Quis nollet pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, redimere captivum, visitare infirmum, & vinctum, excipere peregrinum, sepelire mortuum? Nemo nostrum queratur, nemo obmutaret. Non abstulit nobis quoque hanc dignationem, obsidem tenemus ejusmet sententiam: quâ dixit, *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; quod uni horum facietis, mihi facietis.* Non dignamur pascere pauperes famelicos, potare sitientes, &c. quis credet facturos nos fuisse, vel esse in persona Christo, siquidem non dignamur hoc facere in suis minimis id ipsum eidem Christo? Et sic quidem Christus Dominus miseriarum nostrarum particeps, misericordiæ verò indigus esse voluit. Jam videamus, quomodo in Passione sua nostris miseris misericordiam impendit?

Matt. 25. 40.

G:
B
oper
TOT
N:
S:

1. 2. Esurivimus, & sitivimus. Et Dominus noster dedit nobis manducare & bibere. Corpus videlicet, & sanguinem suum pretiosum, cum reliquis bonis suis in Sacramento atque Sacrificio Eucharistico, dedit & gratiam suam, de qua ipse testatus est: quoniam qui biberit ex aqua, quam ille dabit, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ vivæ salientis usque in vitam æternam.

3. Operuit etiam Nuditatem nostram vestimento meritorum suorum, atque tunicâ inconsutili, Ecclesiæ suæ, cujus filios nos esse fecit, & in cujus gremio veste gratiæ charitatisque vestimur. Et beatus qui custodit hæc vestimenta, ne nudus ambulet, neve careat veste nuptiali, sine qua nemo dignus nuptiis Filii Regis æterni, sed ligatus mittitur in tenebras exteriores.

4. Captivos quoque nos redemit è potestate, è carcere tyrannidis tam diabolicæ, quam peccati, quàm mortis; quin etiam descendit in illum carcerem, qui erat in inferioribus partibus terræ, & inde eduxit in fortitudine sua victos, captivamque Patrum Sanctorum captivitatem; quorum vincula dissolvit sanguine suo, alligavit autem fortem illum serpentem vecte.

5. Visitavit etiam nos infirmos, & multum temporis in infirmitate & languore habentes: impenditque nobis curam suam, visitans nos in salutare suo, & infuso vino, oleoque suæ veritatis & charitatis alligavit vulnera nostra, & usque ad sanitatem perduxit. Insuper autem languores nostros ipse in se suscepit, & eos pertulit, & vulnera nostra ipse portavit, factus vir dolorum, & sciens infirmitatem. Nos autem livore ejus sanati sumus.

V. P. Druzb. Op. VIII.

M m

6. In-

Handwritten notes on the right margin, including a large 'D' and other illegible characters.

6. Insuper peregrinos nos, imò profugos à Domino, & in regionem longinquam digressos filios à Patre, prodigos, & omnis substantia profusores, ipse collegit, & in hospitio Ecclesie suæ collocavit. In cujus figura, cùm ei se quidam valde peregrinus, atque adeò latronum secum crucifixorum unus obtulisset, non aspernatus eum, excepit non tantum hospitio Gratia & miserationis suæ, verum etiam Paradyso atque Regno suo: dicens ei, & re ipsâ complens.

Luc. 23. 43. *Hodie mecum eris in Paradyso*, quod verbum etiam nobis in salutem est, sicuti & latro est exemplum. Et nos enim latrones fuimus, rapinam arbitantes gloriam Dei, & patrantes opera tenebrarum, fuimus inimici, & peccatores, & natura filii iræ, socii magni illius furis, filii autem alterius; sed interest, agamusne pœnitentiam, & confiteamur tum Domino peccata nostra, tum Dominum, confitendo gloriam & misericordiam ejus, atque ab eo mendicando gratiam, & memoriam nostri in Regno ejus.

7. Ad extremum Dominus noster vespillonem egit sepeliens omnes mortuos nostros in rubro mari sanguinis, meritorum, dolorum, & mortis, crucisque suæ propter quod Apostolus ait de omnibus nobis, quod *Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Unde quemadmodum quòd Christus mortuus est, peccato mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo; ita & nos existimemus. Nos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro. Sepelivit nos ergo Dominus noster in sanguine mortis,

Rom. 6. 4.

Ibid. v. 10.

S:
6
oper
TOT
N:
5

morte, cruce sua. Nos inquam, peccatores, filios
 iræ, filios Adæ veteris. Vivificavit autem nos in
 Resurrectione sua, & complanavit e. dem resur-
 rectioni in vitam æternam.

Ita ergo Dominus noster opera misericordiæ
 omnia exercuit circa nos, & quidem Passione
 suâ pretiosâ. Utique erudiens nos, ut pariter &
 nos Minimos Christi, sive potius ipsummet Chri-
 stum in minimis suis, Elurientem pascamus, Si-
 tientem potemus, Nudum operiamus, Captum,
 Infirmum, Peregrinum visitemus, colligamus,
 redimamus, consolemur, mortuis sepulturæ ho-
 norem, vel etiam sepulturam ipsam impenda-
 mus. Dignus certè Christus est, qui talia pro
 nobis, imò nobis, tanto suo impendio fecit, ut
 etiam in membris suis, in fratribus nostris, imò
 verò, ut ipse loqui dignatur, fratribus suis, re-
 cipiat à nobis. Ut olim cum venerit in majesta-
 te & virtute multa, gloriaque Patris, cum An-
 gelis Sanctis, judicare sæculum per ignem, atque
 discernere populum suum à non suo, Oves se-
 gregans Pastor ab hædis, audire liceat nobis.

Quia esurivi & dedistis mihi manducare, sitivi, & *Matth. 25. 33.*
 dedistis mihi potum, nudus eram, & cooperuistis
 me, captivus eram, & redemistis me, infirmus eram,
 & visitastis me, hospes eram & collegistis me, mor-
 tuus eram, & sepelivistis me, in minimis fratribus
 meis, quibus quidquid fecistis propter me, mihi feci-
 stis. Venite ergo benedicti Patris mei, possidete para-
 tum vobis à Patre meo Regnum à constitutione mun-
 di. O quomodo in illa die vellemus ipsimet
 esurisse, sitivisse, nudi incessisse, cæteraque
 ejusmodi opera bona, usque ad nostram defe-
 ctionem, Christo nostro in pauperibus ejus pro-

Mm 2 pter

Handwritten marginal notes in a cursive script, including the letters 'D', 'i', 'c', 'k', 'i', 'e', 'l', 'i', 's', 'v', '8'.

pter eum impendisse. Hoc igitur nunc faciamus, hoc nunc frequentemus, & vel saltem superflua, minusque necessaria nostra, in hos usus impendamus, ut quod nobis superest, pauperibus autem deest, *eleemosynam dantes, omnia peccata nostra, tam quoad culpam, quam quoad penam, munda sint nobis.*

MODUS LXXXII.

Modus Octogesimus secundus meditandi Dominicam Passionem est. Scrutando in ea septem dona Spiritus Sancti, nec non duodecim fructus ejusdem, quos omnes, indubitatum est requievisse super Christum semper, & eluxisse in omni vita, Passione, & Morte ejus. Et de donis quidem attestatur Isaias, cum discrete loquens de Christo. *Et egredietur (ait) virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiae & Intellectus Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiae, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Quibus verbis manifeste loquitur Propheta de Messia Christo ex Virgine MARIA, Jesseæ propaginis filia nascituro, & inter nos in mundo conversaturo, & in cruce exaltando, ubi & efflorescere debuit, in Nazarenum Regem Judæorum, & abundantiam donorum suorum & fructuum repleturus universam orbem terrarum, ramosque suos expansurus usque in fines terræ: ad instar arboris illius apud Daniele Prophetam, *cujus altitudo pertingit ad calum, & aspectus illius, in omnem terram, & rami ejus pulcherrimi, & fructus ejus nimius, & ejus*

S:
G:
oper
TOT
N:
S:

Isaia 11.1.

omniu
in ram
longè
Jelus
de fru
potill
lucule
lus, q
Charit
Longa
ventia
subjec
dixer
procu
per cr
crucis
potill
suos fr
hibito
cerper
modu
I.
tus Ti
sus sit
plenè
omne
in se
crucis
exagg
specta
litaqu
narum
peccat
quand
omniu